

M B N

1 5 5 2



CL 32306  
2

EPISTOLA  
ECCLESIAE AFFLI  
CTAE AD CHRISTVM SALVA  
torem, Elegiaco carmine  
conscripta

A

DAVIDE PEIFERO  
LIPSIKO.

RESPONSIO CHRISTI AD EAN  
dem, Authore Andrea Ersten  
bergio Antistea.

LIPSIAE

EX OFFICINA VALEN  
TINI PAPAE.

Anno

---

M. D. LII.

ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΤΟΥ ΒΗΧΙΟΥ.

οἱ πρόθευ' ὕσεβῶν λόγων ἐνρήματα  
 κάλλισα πῖσοι μασέων δῶκαν λάτρεις,  
 γεγραμμέν' ἐμ' περὶ λόγων μέτροις θ' ἅμα·  
 νῦν ταῦτα δὴ θείων φέρουσι ῥημάτων  
 γνωρίσματ' ἐνδ' ἡνιούτα πᾶσι ποικίλα  
 καὶ δεινὰ πῆματ' ἐμ' ἐκκλησία θεῶν,  
 διαπύκα κακῶρων γινόμενα πανουργίας,  
 ὅσοι τε μὴ τηροῦσιν ἐνθ' ἁλῶν νόμων  
 ἰσῶς ἀκίβδηλοισὶν ἕρανίων φρεσίν.  
 ἦδ' ὅδ' ἐμ' ἠπὸρ σώζεται φρεσὶ μὲν  
 διαπαντός, κυρίως πρὸς αὐτὸ καὶ πατρὸς  
 ὅς τόν τε κόσμον ἐκίσ' ἐκ τοῦ μηδ' ἐνός,  
 καὶ τῶνδε φιλοθέοις νέμει χάριν βροτῶν.  
 ἀλλ' ἐντυχῶν ἕως προσφέρω φιλοφρόνως  
 ποιήμασιν τοῖς δ' ἦδ' ἀναγνὸς ὕλογῶν  
 τὰ δ' ἄσπασ' ὡς κάλ', εἰδ' ἐμὴν, ἀλλά γ' ὡς νέεα.

EX OFFICINA VALERII  
TINI PARAB.

ΑΠΟ

M. D. C. L.



# GENEROSO

DOMINO, D. IOANNI  
DE LIATALITZ, COMITI A  
Labissino, illustris ac magnifici Domini,  
D. Ianusij de Liatalitz, Comitis in La-  
bissino, Palatini Posnaniensis, Iune-  
uuladislauiensis, Sluchoueiensis, Rego-  
sinensis &c. Capitanei Regij  
filio, Domino suo.

**I**N medio quamuis Ecclesia iacta profundo  
Iratas fesso remige pulset aquas,  
Non tamen obruitur, non ullo frangitur aestu,  
Tuta, sed aetherea littora tangit ope.  
At non hoc debet securas reddere mentes,  
Ut credant precibus nil opus esse suis.  
Quin Deus est potius summissa uoce rogandus,  
Frangat ut ultrices illius ira minas.  
Nec propter nostrae uitae delicta piorum  
Dissolui cætus per fera bella sinat.  
Transferat aut aliò diuini dogmata uerbi,  
Ac tanto patriam lumine priuet humum.  
Rursus & ingratum tenebrarum sordibus orbem  
Inuoluens, ueteri pectora nocte premat.  
Idq; procul dubio ne fiat turba piorum  
Ante Deum flexo poplite prona petit.  
Tu quoq; pars huius cum sis Comes inclyte cætus,  
Publica priuata cum prece uota iuues.

Cum procul ex patria nostram peregrinus in urbem  
Veneris, Aoniæ motus amore Scholæ.  
Cum mores tantis habeas natalibus æquos,  
Cum tota uatum munera mente colas.  
Quid magis exoptent nostræ precor edita musæ  
Carmina, quam titulis esse superba tuis?  
Tu modo porrecta munus leue suscipe dextra,  
Nec querulis duras uersibus obde fores.  
Inuenies illic quæ sit fortuna piorum,  
Peruerso uitam donec in orbe trahunt.  
Quæq; parum firmam releuent solatia mentem,  
Et luctus possint attenuare, leges.  
Sic tibi propitijs succedant omnia fatis,  
Sic tangas reduci patria tecta pede.  
Sic Clariæ sumas haustus feliciter undæ,  
Sic tibi Palladium non graue fiat iter.  
Cuius te solo dignus tibi contigit author,  
Duxq; tuo lateri non renuendus adest,  
Casspar Gescaniam cuius facundia gentem  
Obductam pigro non sinit esse situ.  
Quo nemo melius, totum licet æthera iactet,  
Novit ad Aonias quæ uia ducat aquas.  
Sed tibi ne nimia sim garrulitate molestus,  
Accipe quid breuiter nostra Thalia petat.  
Me precor & socij comitem defende laboris  
Amborumq; boni consule scripta. Vale.

T. C. Studiosiss. David  
Peiferus Lipsicus.

EPISTOLA  
AFFLICTAE ECCLE  
SIAE AD CHRISTVM.

**P**erlegis an prohibēt mea crimina? perlege **CHRE**  
Hæc uenit à sponsa litera missa tua (S T E  
Perlege non quod ego sim tanto munere digna,  
Sed quia tu nomen mite parentis habes.  
Ah quoties recutita cohors tua numina laesit,  
Officij quoties non meminere sui?  
Impia iactantes sacro conuicia Mofi,  
Iratum quoties promeruere Deum?  
Auratæ taceo tulerint quod sacra iuuençæ,  
Cuius in Horebi uallibus ara fuit.  
Tam cito Niliacas obliti quanta per oras  
Essent ad nutus edita signa tuos.  
Tu tamen hanc saluam uoluisti uiuere gentem  
Vltrices nec te iuuat habere manus  
Es bonus, & quamuis sponsum fratremq; professus,  
Non tamen incassum nomina patris habes.  
Semper enim sibi te præsentem **CHRISTE** patronū,  
Humanum in terris sensit adesse genus.  
Tunc quoq; cum nondum sumta de uirgine carne  
Mortali, uerus conspicereris homo.  
Sæpe tuas sensi medio flagrante tumultu,  
Auxiliatrices iam peritura manus.  
Scilicet hinc animo surgit fiducia nostro  
Te suscepturum meq; measq; preces.

Et licet afflictæ sors improba dedecus addat,  
 Nec mea te probris iudice uita uacet:  
 Parce tamen fassæ, nec tristi cætera fronte  
 Perlege, sed uultu conueniente patri.  
 Aspice quas ad te lacrymas Ecclesia fundam,  
 Humectentq; meas flumina quanta genas.  
 Hæc etiam nostros testatur charta dolores,  
 Quam maculat lacrymis facta litura meis  
 Sed nec opus nobis est testibus, ipse uidere,  
 Siq; uoles luctus ipse leuare potes.  
 Scis mihi quos casses disponat turba malorum,  
 Scis quibus insidijs hoc caput illa petat.  
 CHRISTE tuū propter fer opem uenerabile nomē,  
 Et ueniam sceleri da Pater alme meo.  
 Surge iuuq; tuam propter tua uulnera sponsam,  
 Et me coniunctam sis memor esse tibi.  
 Protege me, defende tuis me CHRISTE sub alis,  
 Quamq; redemisti sanguine, uictor habe.  
 Tartara ne de me Mundusq; Satanq; triumphent,  
 Nominis in labem perniciemq; tui.  
 Aequora ceu rapido uento concussa tremiscunt,  
 Utq; noto gracilis uirga furente labat:  
 Sic mea perpetuis exercita membra procellis,  
 Vel crocea cera pallidiora iacent.  
 Ah si me patria tantum de sede uideres,  
 Molliret uultus nostra figura tuos.  
 Omnia (nam memini) mihi uaticinatus es ante,  
 Cum premeres madidis lumina nostra genis.  
 O mea dicebas, quantas Ecclesia clades  
 A mundi laruis excrucienda, feres?

MORS



Mors rectiq; Sathan longe infensissimus hostis,  
Insidias membris ponet uterq; tuis.  
Tum uero miseræ mihi mens præfaga malorum,  
Nescio quid subiti sensit adesse mali.  
Prima tuus nostri discessus causa doloris,  
Et quam portasti crux tua, nostra fuit.  
Væ mihi, uæ, dixi pro me tot uulnera CHRISTVS  
Totq; feret plagas? uerbera totq; feret?  
Non ego sum tanti, non sum tristissima tanti,  
Debeat ut pro me fata subire Deus.  
Deuouique patrem primum, peccataq; nostra,  
Tam magni luctus quod tibi causa forent.  
Hæc ita dum lacrymans magno queror omnia plâctu  
Tristior in mœsto limine rumor adest.  
Teq; refert longo affixum distendere trunco  
Iamdudum Solymos constituisse patres.  
Et nunc educi tollendum morte nefanda.  
Quid mihi tunc animi CHRISTE fuisse putas?  
Procubui exanguis, scirem licet omnia nutu  
Ista tui patris teq; uolente geri.  
Vt redij scissa planxi mea pectora ueste,  
Ardor & in uultus unguibus ire fuit.  
Vix equidem memini, memini tamen, omnia luctus  
Omnia uirginei plena doloris erant.  
Huius adhuc hodie lucis si quando recordor,  
Cumq; tuæ mentem mortis imago subit,  
Est corpus calido nobis sine sanguine, pectus  
Frigidius glacie, frigidiusq; niue.  
Ductus es interea populi comitante caterua,  
In tristem mortis supplicijq; locum.

Arboribus truncis ubi pendent corpora tabo  
Lurida & humanis ossibus albet ager.  
Tunc me nec placidis fidæ potuere ministræ  
Solari uerbis, nec retinere domi.  
Per medias iuiq; uias mediamq; per urbem,  
Et petij tristem plena dolore locum.  
Hoc Solymæ matres patulis spectasse fenestris  
Dicuntur, lacrymas nec tenuisse suas.  
At simul ut uidi concursum ac spicula circum,  
Collis & in summis agmen equestre iugis,  
Erectasq; trabes, quamuis hæc omnia longè  
Prospicerem, clarum quid gereretur erat.  
Obstupui rupiq; sinus flauosq; capillos,  
Et dixi moles quid feret ista mali?  
Hæc iterans, iui medium ruitura per agmen,  
Sed tenuit cursus impia turba meos.  
Obiectis aditus clauserunt undiq; scutis,  
Scilicet ut ferrem basia nulla tibi.  
Non tamen & nulli nostris singultibus hostes,  
Perculsi gemitus ore dedere graues.  
Coniunxitq; suos nobiscum terra dolores,  
Istaq; flammifero lux sine sole fuit.  
Tristior obduxit tenebris sua lumina Phœbus  
Impia ne diræ cerneret ausa manus.  
Ast ego nec tetigi solitum tristissima lectum,  
Peruigil & lacrymis nox fuit acta meis.  
Nec prius has animo potui dimittere curas,  
Quam post tres luces uiuere dictus eras.  
Sed fuit hoc triduum toto mihi longius anno,  
Questaq; sum tardis passibus ire diem.

Letior

Letior inde fui sed & hæc quoq; gaudia mentem  
Frustrata, heu longas non habuere moras  
Tempus erat cum tu Stygijs rediuius ab undis,  
Aurea soluebas talibus ora sonis:  
Abstrahor ascendens superas Ecclesia sedes,  
Et patris ad dextram cunctipotentis eo.  
Discedamq; licet tamen omni tempore tecum,  
Terrarum donec corruat orbis, ero.  
Est mons in latis Galilææ uallibus, in quo  
Præsens, sicut eram iussa uenire, fui.  
Protinus in medium sed postquam uenimus ambo,  
Aurea te celsa tollis in astra uia.  
Prosequor ab madidis oculis in sidera raptum,  
Et propior lacrymas accipit herba meas.  
Angelicis circum resonat concentibus æther,  
Icta repercusso murmurat aura sono.  
Totus & horrendo tonitru confunditur aër,  
Numinis abscessu conscia terra tremit.  
Lucida siderei se pandunt atria cœli,  
Stelliferæq; patent limina prima fores.  
Protinus ingrederis niueo uenerandus amictu,  
Atq; oculis non es redditus inde meis.  
Sed postquam nec te nec cœli limina uidi,  
Cumq; quod aspicerem gramen & aura fuit:  
Exanguis cecidi, uix me tellure leuatam,  
Astantum gelida turba refecit aqua.  
At cum mens redijt pariter rediere dolores,  
Et me tunc doleo non potuisse mori.  
Tunc potui sine labe mori, tunc criminis expers  
Vinceret intactas & mea fama niues.

Tunc neq; uisa oculos neq; turpia dicta, nefanda  
Polluerant aures impietate meas.  
Quicquid & ex illo protraxi tempore uitæ,  
Nil mihi quam luctus, nil nisi pœna fuit.  
Protinus à proprijs (quis posset credere) membris  
Tristia Tartareo damna sub hoste tuli.  
Surrexit falsi Tacianus dogmatis author,  
Huic Hierax iunctus prauus & ipse fuit.  
Nam sacra consortis coniungere fœdera lecti,  
Dixerunt summi criminis esse scelus.  
Hinc sparsit falsæ Manichæus semina sectæ,  
Finxit & in uitam crimina CHRISTE tuam:  
Esse deos binos qui possent omnia soli,  
Credendum firma rettulit esse fide.  
Quid ueteris memorem scelerata uenena Simonis,  
Et qui deuictæ nomina gentis habet?  
Cherinti q; dolos, Ebiônis dogma, tuumq;  
Marce nefas, fraudes & Ptolemæe tuas?  
Quid dicam, dira ferus impietate Menander?  
Authorem Mundi noluit esse Deum.  
Hinc Saturninus tenebris immersus eisdem  
Viscera nostra tuas dilacerauit oues.  
Quid tibi Carpocratem referam? sæuumq; Secundū?  
Quid rapidas Bassi Patricijq; manus?  
His quoq; iunguntur Photinus, Symmachus, Audas,  
Magna frendentes impietate Lupi.  
Eloquar? an taceam? quid fecerit Arrius audax,  
Quiq; bonæ Eunomius nomina legis habet?  
Et quos præterea non est comprehendere uersu,  
CHRISTE quibus nobis cura nocere fuit.

Ter

Ter Mahummetigenas uolui tibi scribere gentes,  
Destitit à prima ter mea penna nota.  
Primus pestiferi Mahumetes dogmatis author,  
Impia deceptam traxit ad arma manum.  
Qua penetrans Arabum fines ibi fraude dolosa,  
Constituit regnum Pseudopropheta suum.  
Inde Saracenos ducens Euphratis adiuit  
Flumina, Christigenum depopulatus agros.  
Maxima tunc perijt diuinæ portio plebis,  
Terraq; sanguineo tincta rubore fuit.  
Cætera damna tibi lacrymis claudentibus ora,  
Non isto possum tempore CHRISTE queri.  
Augēt & hos luctus Romana numen in urbe,  
Ultimus accedens in mea damna, Papa.  
Quem mihi custodem dederas (miserabile dictu)  
Iam lupus in nostrum præsul ouile fuit.  
Atq; suis implet modo traditionibus orbem,  
Præscribens populis impia iura tuis.  
Ille trahit cæcos homines ad multa nefanda,  
Nam speciem multæ religionis habet.  
Scilicet has pœnas hominum meruere furores,  
Nec queror immeritam me tot acerba pati.  
Et non indignor, quid enim mihi proderit ira?  
Nam quod agis iusta cum ratione facis.  
Quis nisi mentis inops cupiat contendere tecum?  
Vno qui uerbo perdere cuncta potes.  
Ergo quid irato mihi numine restat agendum,  
Quod possit certam ferre salutis opem?  
An tibi CHRISTE parem stricto concurrere ferro?  
Arbitrio Mundus statq; caditq; tuo.

Huma

Humanine cliens poscam præsidia iuris?  
Te contra auxilium non mihi iura ferent.  
Quo fugiam? quo me cælabo miserrima? nostrum  
Ne premat irati uindictis ira caput?  
Æthiopum terras adeam fugitiua? requirent  
Æthiopas dextra fulmina missa tua.  
Anne petam toto diuisos orbe Britannos,  
Mèq; putem hoc tuto degere posse loco?  
Quicquid ago, quocunq; feror comitantur euntem  
Et timor & præsens uindictis ira Dei.  
Consciamens dubia uigilem formidine terret,  
Sopitæ renouant tristia uisa metum.  
Quodq; dolet tantas pœnas sceleratus adauget  
Mundus, & est nostris lætior ille malis.  
Insultâtq; Sathan miseræ mihi, multâq; bella  
Inter Christigenas in mea damna mouet.  
Ah mihi quid prodest tua crux? tua uita? tot hostes  
Victi? si non his tangeris ipse malis?  
Heu mihi num demens læsi tua numina CHRISTE?  
Iræ num potui non memor esse tuæ?  
An tua dicta dedi uentis malesana? meiq;  
Ipsa mihi interitus maxima caussa fui?  
At nondum perij penitus, clementia CHRISTI  
Restat, adhuc nostris tangitur ille malis.  
Mansuetâq; meas nisi suscipit aure querelas,  
Esse tot in pœnas non satis una queo.  
Innuba sum uirgo natura mitis, & hostes  
Quo uincam tantos sola relicta modo?  
Sed nec habet silices nec fert adamantâ sub imo  
Pectore, sed lacrymis frangitur ille pijs.

Excudit

Excudit ipse mei memor intima uiscera cordis,  
Novit & affectus qua ratione feram.  
Ille suæ sponse uidet infortunia, clausas  
Aures ad tales non habet ille preces.  
Excellent dominus nostri suspiria cordis  
Percipit, & recta me docet ire uia.  
Erigit, extollit, condonat crimina lapsis,  
Quos humiles sceleris pœnituisse uidet.  
Me quoq; tam tristi non tempore deseret unquam,  
Et sic abiectam non sinet esse diu.  
Diuidet ille suum cœlum iudexq; seuerus  
Descendet, pompa conueniente Deo.  
Tunc hostes nostri baratri mittentur in ignes,  
Tunc tribuet sanctis præmia iusta suis.  
Tunc meus hic luctus letos uertetur in annos,  
Annos quos numeris nemo referre potest.  
Vberiora meis tunc reddet munera uotis,  
Et noua peccati nescia membra dabit.  
Extera curabit, curabit & intima cordis  
Vulnera, collapsum restituétq; decus.  
Tūc bene nupta ferar, quia CHRISTI spōsa uocata  
Illius æthereis qui tonat altus equis. (bor,  
Optatq; fruar uultu sine fine mariti,  
Qui me perpetuo iunxit amore sibi.  
Tunc Pæana canent æternum pectora mecum  
Christigenum, summo qui regit astra Deo.  
Ergo tot expectent cum me cœlestia dona,  
Cætera non tristi pectore damna feram:  
Huius & ærumnas uitæ fraudésq; dolósq;  
Et quæcunq; dabit tristia ferre Deus.

Nam

Nam mihi pro crucibus cœlum donabitur istis,  
Magnâq; tam parvæ præmia cladis erunt.  
Cætera quæ restât coram tibi CHRISTE loquemur,  
Qua dabitur vultus luce videre tuos.

Innocui vivite numen adest.



# CHRISTVS ECCLESIAE.

**L**Egi quas chartis mandasti sponsa lituras  
Quasq; tuis lacrymis uida papyrus habet.  
Sedula transiliit celsas oratio nubes,  
Haueruntq; preces atria nostra tuas.  
Nec me præteritæ mouerunt crimina uitæ,  
Crimina censuram digna subire grauem.  
Nec tibi quod qui se coniunctos esse loquuntur  
Peccatis renouant uulnera nostra suis.  
Quorum me toties iustam commouit ad iram  
Crimine nunquam aliquo uita recente uacans.  
Ut ruit excussis sonipes male pressus habenis  
Et uolat impune quo iubet ire furor.  
Utq; citæ currunt spaciōsa per æquora puppes  
Cum Zephireæ uices aura regentis agit.  
Impete sic multi effreni in delicta feruntur  
Nec ponunt uitæ iura modumq; suæ.  
Iam tumidas quoties subiit cogitatio mentes  
Vllus an in toto uiueret orbe Deus?  
Vel mala si numen quod plecteret esse putarunt,  
Vita tamen nulli castior inde fuit.  
Heu mihi quod tua uult etiam nunc turba uideri  
Quæ uiolat sanctos impia turba toros.  
Et ruit in ueteres de formis adultera sordes  
Impia, & ad falsos orat ut ante Deos.

Res

Res numerum superat, tot numina ficta coluntur?  
Cuncta suis cum stent acta dicata deis.  
Numen habent segetes, Urbanus rura tuetur  
Et uegetat stirpes ille uel ille Deus.  
Alter hic infestum depellit ab ædibus ignem,  
Vlcera quæ curent pharmaca Rochus habet,  
Sed par, æquoreas fuerit numerare procellas,  
Stultitiâq; hominum numina ficta, labor.  
Non pudet hunc sæuis flagrantibus undiq; bellis  
Turpiter auxilijs indubitare meis.  
Corripuit grauior postquã huius corpora morbus,  
Ecquid plus medici, uel ualuere preces?  
Siue fames aliquam torqueret pallida gentem,  
Nonne illi nummi numinis instar erant?  
Turba etiam magicas malefida recurrit ad artes  
Cum male propositum cedere cernit opus?  
Vt, secreta tuæ, taceam, mihi cognita, mentis  
Quæ iam noster amor crimen habere uetat.  
Nec referam proprijs quod sis male uiribus usa,  
Ceum mea ferre nihil dextera posset opis.  
Adde procellosis contraria murmura rebus,  
Si qua foret titulo pœna ferenda meo.  
Hæc inquam sponsum nil sunt remorata legentem,  
Nilq; minus nuptæ grata querela fuit.  
Firma manet thalami sempérq; immota uoluntas,  
Promissam tollent tempora nulla fidem.  
Turba etiam gemitus cum perfida ducit ab imo  
Pectore, delicto tangitur atq; suo:  
Iam iam peccati pœnæ siluere minaces,  
Et tanquam tumulto condita culpa latet.

Hinc

Hinc scriptis ueterum lapsus & murmura patrum  
Ad tua sollicitè prodita sæcla uides.  
Scilicet ut noris fugiendæ incommoda culpæ,  
Quodq; sit ingenij mitior ira mei.  
Isacidum Pharij fugiens domus arma Tyranni,  
Desertas obijt lege soluta plagas.  
Sollicitus rupem Moyses Syneida scandit,  
Nostraq; uult populo reddere iussa suo.  
Fusa sibi interea confingit numina uulgus,  
Inq; uijs ueri desinit ire Dei.  
Tum licet irarum facinus succenderet ignes,  
Esset & ad pœnas nostra parata manus:  
Ipse tamen Moysis precibus flectebar ab ira,  
Et pœnæ posito fulmine, mitis eram.  
Rex scelerum populiq; mei iactura Manasses,  
Cuius erat cunctis dedita uita malis.  
Degener à uero pietatis dogmate patrum,  
Fœdabat falsis templa sacrata Deis.  
Extremis magicas artes ducebat ab Indis,  
Præcipiti raptus per scelus omne gradu.  
Quas hunc commeritum pœnas tormentaq; censes?  
Quidue putas culpa grandius esse sua?  
Præda fuit celsam ductus Babilonis ad urbem  
Assyrijs, uincta post sua terga manu.  
Illic concutiens proprijs sua pectora palmis  
Deplanxit mæsto dedecus ore suum.  
Meq; trahens cepta subito deuotus ab ira,  
Rex Solyma posito sedit in urbe iugo.  
Magdala quæ flammis insana libidinis arsit,  
Et cui turpis amor pro pietate fuit:

B

Conspectus

Conspetto nostræ perterrita frontis honore,  
 Dirigit, lacrymis crimina fassa suis.  
 Crura rigans fletu, deterfit prona capillis,  
 Balsama perq; meos fudit odora pedes.  
 Quid facerem? durisne ream depellere uerbis  
 Fas erat? aut tantam dissimulare fidem?  
 Errorum ueniam uerbis accepit amicis,  
 Claraq; per multos nomina itura dies.  
 Supplicio iuuenis mecum damnatus eodem,  
 Cuius (ut & nosti) perdita uita fuit.  
 Iam lapsos uultus squallentiaq; ora tenebat,  
 Inq; humeris capitis triste ferebat onus,  
 Et uia nulla fugæ, prorsus spes nulla salutis,  
 Præsenti uitam morte premente suam.  
 Tollitur ecce rudis primæ caligo iuuentæ,  
 Spemq; capit certam de bonitate Dei.  
 O, ait, æterni proles æterna parentis,  
 Sanctorum uotis indubitata salus,  
 Respice me (nam certa manent te limina cœli)  
 Nostra salus uerbo statq; caditq; tuo,  
 Huic ego transactæ condonans crimina uitæ,  
 Dulcia iustorum gaudia nosse dedi.  
 Inspiciat si quis ueterum monumenta librorum,  
 Plus ueniæ, & pœnæ cernet ubiq; minus.  
 Sed caue ne culpæ lasciua licentia surgat,  
 Hincq; putes tutas criminis esse uias.  
 Sed si quod dirus peccatum suaserit anguis,  
 Naturæ fragilis conditione, tibi.  
 Seu cum mordaci roduntur pectora uerme,  
 Et gaudent pœna morsq; Sathanq; tua:

Exempl.

Exemplo ueterum neruis animiq; receptis,  
Spem certam ponas in bonitate Dei.  
Nam tua sunt penitus nostro deterfa cruore,  
Nilq; magis tectæ crimina labis habent.  
Ne crucies igitur sæuo tua corda dolore,  
Neu trepides ad tot territa uirgo minas.  
Anne meos censes has turbas fallere uultus?  
Et fieri non hæc bella uidente Deo?  
Haud fugit hæc oculos nec me prohibente resurgit,  
Sed fit permissu tanta procella meo.  
Scilicet ut uero plangantur crimina fletu  
Et sciat accepto quisq; timere malo,  
Tu tamen in me fixa tene tua lumina semper,  
Solutus ego portus perfugiumq; tibi.  
Ac quanquam immensi discessus caussa doloris,  
Et quam sustinui crux tibi nostra fuit:  
Illa tamen nullos poscunt sibi uulnera luctus,  
Nec decet hæc udis commemorare genis.  
Plange tui potius generis communia damna,  
Illa meæ quoniam caussa fuere necis.  
Atq; pia nostrum collaudes mente laborem,  
Qui fatum sceleris sustulit omne tui.  
Nam sibi donatæ quod gens ignara salutis  
Præbuit immites ad mea fata manus:  
Id pater æternus uoluit, sic totius orbis  
Obrutus inferna morte poposcit honos.  
Terrigenum quoq; suasit amor, patribusq; tibiq;  
Præstita iam dudum nec uiolanda fides.  
Prima parens blandi facie decepta colubri.  
Cum sibi non licitum carperet Eua cibum,

Diraq; progenies, Erebus, cum Marte, Sathanq;  
Humanum raperent destruerentq; genus:  
Tunc miseratus ego mortalis uulnera uitæ  
Insons decreui uulnera dira pati.  
Tempus erat, nascor summum Deus æthera linquēs,  
Illæsa matris uirginitate puer.  
Turba frequens populi pendebat ab ore docentis,  
Gaudebatq; mea multus egenus ope.  
Ecce graues uisu formæ, atq; bicorpora monstra,  
Pube tenus Scyllæ, Gorgones ore tenus.  
Quæ Pater obscuro quondam mandauerat Orco,  
Semper ubi clausos nox premit atra dies:  
Excutitur nostris iterum de faucibus (aiunt)  
Implexis quondam præda petita dolis.  
Quin solito infenso pro more resistimus hosti.  
Funestæq; huius tradimus ossa neci?  
Forte Dei nostris proles mentita peribit  
Nexibus, & patria destituetur ope.  
Pro se nitatur tacitas contexere fraudes,  
Nec dubitet casses ponere quisq; suos.  
Hæc dixere. Ruunt Solymæ per tecta, domosq;  
Inspirantq; animis dira uenena pijs,  
Ambiguam uarijs complent rumoribus urbem,  
Mixtaq; cum ueris ficta dolosq; canunt,  
Exacuunt animos hominum, cæcoq; furore  
Armant audaces in mea fata manus.  
Vnus bis senos inter sceleratus Iudas,  
Cuius erant auri pectora capta fame,  
Impatiens operum, leuis, atq; in utrunq; paratus,  
Quaslibet infandas promptus obire uices.

Non uas

Non ualuit sathana sese subducere fraudi,  
Obsequiumq; malis præstitit ille dolis.  
Et me festinans, furijs agitatus iniquis,  
Hostibus accepto prodidit ære Deum.  
Nox erat & dulces tranquilla silentia somnos  
Præbebant, hominum ceperat ossa quies:  
Cum socijs colles oleæ conscendo uirentes,  
Ut possem tacita fundere nocte preces,  
En stipatus adest armato milite Iudas,  
Et prodit dominum perfidus ore suum.  
Cernere erat tremulo rutilantia iugera ferro,  
Ardentesq; nigra nocte micare faces.  
Et fremitus audire feros, hastasq; sonantes,  
Obstreperere atroces inter & arma sonos.  
Non secus ac nigra latitantes ualle latrones,  
Ingens quæsitum currit ab urbe cohors,  
Si quando serus compleuit mœnia rumor,  
Longius & solito forte uiator abest.  
Vndiq; concurrunt uulgus, rabidiq; capessunt  
Ut subitus confert cuilibet arma furor.  
Hæc uis. Ast illi manibus post terga reuinctis  
Me ducunt summi præsulis ante thronum.  
Confictis proceres replent clamoribus urbem,  
Obijcit ignoto crimina quisq; Deo.  
Vnanimes proprij iurant urgentq; Parentis  
Numina blasphemio dogmate læsa meo.  
Indensus ego loris, uirgisque salignis  
Vulneror, & tacitis uerbera condo genis.  
Protrahor è media religatus funibus urbe,  
Binâq; materiam perfero ligna necis.

Dèq; his sponte mea mortis demittor ad umbras,  
Dum meus è gelido pectore sanguis abit.  
Omnia sunt fateor magnis hæc digna querelis,  
Lætitia nec sunt digna minore tamen.  
Nam quis priscorum deleffet crimina Patrum?  
Quis potis iratum conciliasse Deum?  
Quis nam detentos imis in faucibus orci,  
Sedibus æthereis restituisset auos?  
Ille ego qui manes subeo, rediturus ad astra,  
Ille ego quem cœli, terra fretumq; tremunt.  
Quo moriente rubens linqvit sua lumina Phœbus,  
Cuius ob aduentum nox procul atra fugit.  
Qui superas propria uirtute euectus ad auras.  
Sceptra gero regni non peritura mei.  
Sum toto præsens, quamuis existimer absens,  
Numine nec uacuis est locus orbe meo.  
Quantos ergo tibi potuit mouisse dolores  
Discessus, manibus cruxuè leuata meis?  
Commoda utrunq; tulit, nulli hæc spernenda piorũ  
Et tibi placatum promeruere Deum.  
Cùmq; ego regna Deus tantum cœlestia curem  
Fluxa meos primum sustulit aura pedes.  
Publica Christiadis quæ res exempla salutis  
Præbuit, ut iustis astra patere sciant.  
Astra patere sciant, nec non prouisa perenni  
Lætitiæ sedem cœlica regna sibi.  
Discant infracta perferre pericula fronte,  
Nec tamen ærumnis numen abesse putent.  
Vtq; tibi dudum promissum Spiritum ab astris  
Conferrem, genitor nonne petendus erat?

Nota



Nota erat humanæ nimium uis languida mentis,  
Confirmanda fuit cœlitus illa mihi.  
Ortus erat, summóq; caput iam margine Phœbus  
Extulerat, tepidos iamq; regēbat equos:  
Vnanimis quando tectis reclusa sedebat,  
Ob procerum Solymæ gens duodena metum.  
Ecce statim quassus crebris micat ignibus æther,  
Et superum magno tecta fragore tonant.  
Suspiciunt, summo descendit uentus ab axe  
Gratáq; diductis nubibus aura cadit.  
Candet ab igne domus subito, rimásq; per omnes  
AËthereo radians lumine flamma micat.  
Cœlitus ignitæ linguæ descendit imago,  
Per totum incumbens diuiditúrq; gregem.  
Concipiunt sacras læti sub pectore flammæ,  
Innocuo uires flamme dante nouas.  
Excussóq; animis mea facta timore loquuntur,  
Quæq; prius pauidi conticuere, canunt.  
Erudiunt nostra uulgus de morte profanum,  
Et ualet ignoto quilibet ore loqui.  
Hunc nos terrigenis cœlo demissimus ignem,  
Causáq; discessus hæc fuit una mei.  
Ne dubites ergo, & nullis moueare periclis,  
Et caue concutiat noxius ossa timor.  
AËtherei poteris adiuta fauore magistri  
Quoslibet hostiles exuperare dolos.  
Eriget is mœstam, miseram solabitur, atq;  
Aduersus Sathanæ conferet arma manus.  
Quid deceat sponsam, quid dedecátq; docebit,  
Atq; salutare instruet ire uias.

Diuinos animo flatu inspirabit amores,  
Concipient ignem numine corda Dei.  
Nec tamen interea Stygij dux improbus orci  
Retia cessabit tendere multa tibi.  
Aequora tum rapidis insurgent undiq; uentis,  
Tentabitq; tuam sæpius unda ratem.  
Tu tamen infractis huic obuia uiribus hosti  
Occurras, pugnae præmia digna feres.  
Vna ego cum patre aspirans cœlestibus auris  
Cœlitus infundam numina nostra tibi.  
Ut tibi quæ nimium possint fortasse uideri  
Ardua, succumbant robore uicta tuo.  
Contextas Sathanae monstrosis nexibus artes,  
Dissoluent castæ destituentq; preces.  
Et subito hostilis medio in certaminis ictu,  
Bellica diffugiens deseret arma manus.  
Non igitur nostra est digressio digna querelis,  
Sic abij ut tecum sim sine fine tamen.  
Sed tu nunc scripta hæc uultu quoq; mœsta dolentis,  
In quo multa patent tristia signa, legis.  
Solue metum, confide mihi, atq; recollige uires,  
Et cessa auxilijs indubitare meis.  
In me, quo Sathanae sordent uictore triumpho,  
Lumina munifico, spemq; repone Deo.  
Nil est infelix quod possit obesse saluti  
Arrius, insane participésq; manus.  
Nil Tacianus habet quo lædat, nilq; Secundus,  
Dogmate deuicti succubere meo.  
Ipse licet gemino totum repleuerit orbem  
Numine, nil uitæ nunc Manichæus habet.

Impius

Impius autorem mundi negat esse Menander,  
At me iam uerum rescijt esse Deum.  
Impia Cherinti, diriq; uenena Simonis  
Quis curat? nisi qui non putat esse Deum.  
Carpocratis, Marciq; nefas, & somnia Bassi  
Ante tuas mihi sunt cognita damna preces.  
Gens etiam Sathana Mahometæ immanior ipso,  
In te iam dudum cognita tela iacit.  
Tela iacit gelido prorsus metuenda ueneno,  
Et Germanorum iam petit ense caput.  
Nostra ut adhuc certam retinet quam uinea partem,  
Crudeli inuadens impete uastet aper.  
Hic matris resecans tepidos è corpore foetus  
Non timet auulsum cuspide ferre caput.  
Depopulatur agros, munitas diripit urbes,  
Et spolia ad patrios transuehit ampla lares.  
Christigenum ualidis Heröes crura catenis  
Includens, turpes cogit obire uices.  
Et quæ præterea dominante libidine raptus  
Infert innocuo damna cruenta gregi.  
Haud fugiunt inquam nostros hæc abdita uultus,  
Pœna nec immeritò nunc uenit ista malis.  
" Quæ fuit in culpam facilis (iustissima lex est)  
" Hæc eadem pœnas mens ferat inde suas.  
Iungitur hisce malis, Romana præsul in urbe,  
Qui clam surreptas non bene pascit oues.  
Anne meo ille unquam custos præfectus ouili?  
Aut positus ueræ relligionis apex?  
Irruit in nostrum custos mentitus ouile,  
Et rapit imbelles pastor iniquus oues.

Clauigeriq; senis gaudet successor haberi,  
Sēq; tenere Dei iactat in orbe uices.  
Viderit ille, tibi me prædixisse recordor,  
Quæ sint mentiti signa futura Dei.  
Maior an ulla fuit rerum distantia mundi,  
Quam solet à uero Præsul abesse Deo?  
Quas dedimus leges, technis Papa tollit iniquis.  
Ipse meum Pavi, destruit ille gregem.  
Spinofam gessi, triplicem gerit ille coronam,  
Pauper eram, magnæ huic esuriuntur opes.  
Vectigal solui, censu hic immunis ab omni,  
Mitis ego, hic placidos trudit ad arma duces.  
Ipse pedes laui socijs seruilia passus,  
Lambendos ducibus porrigit ille pedes.  
Ferre crucem cogebam ego, sublimis ad auras  
In folio residens tollitur ille suo.  
Eieci templo quos suscipit ille profanos,  
A me collectum dissipat ipse gregem.  
Hæc ne fortè dolos deprendas cauta latentes,  
Omnia sub specie religionis agit.  
Sed nullæ poterunt mea fallere lumina fraudes,  
Quæ toto quicquid degit in orbe, uident.  
Propositam scelerum pergat contingere metam,  
Et ducat culpæ stamina cepta suæ.  
Stat sua fixa dies, finemq; datura Tyranno,  
Hanc præter poterit longius ire nihil.  
Præmia delicti stygijs feret ille sub undis,  
Possit ut aduentu tristior esse meo.  
Tu modo confirmes pulsa formidine mentem,  
Vultibus inq; meis lumina fixa tene.

Gana

Gaudeat ipse licet mundus, Sathanasq; Erebusq;  
Insultetq; tuis impia turba malis.  
Sum tamen ipse Pater, sponsus, tutela, redemptor,  
Spes tua defensor, portus & ora, tibi.  
Anxia si crebris ergo cingere periclis,  
Ferre manum nosti quis uelit, atq; queat.  
Interea nocuas menti subducito curas  
Sunt quibus hoc poterit mitius esse malum.  
Principio statuas cui sit parere necesse,  
Et iuste iratum quid sit habere Deum.  
Postmodo turpe putes aliquo succumbere casu  
Sed quod res tulerit fortiter ipsa feres.  
Eximium confert quod sis tibi conscia recti  
Solamen, per me quodq; requiris opem.  
Quiq; graues miseræ possit lenire dolores,  
Aeternum nosti numen adesse Deum.  
Quid? quod uenturae spes est, non uana salutis,  
Quiq; simul pluuias finiat una dies?  
Adde quod ad nostros tua crux conducat honores,  
Quæ saluata mea diceris esse manu.  
Hoc quoq; subueniat patienti plura leuamen,  
Quod tua cum multis iuncta querela gemat.  
Heu quantum Moyses & uatum turba priorum  
Impliciti subitis sustinuerunt malis?  
Quos ego? quos socij montes subiere laborum?  
Quanta alij titulo damna tulere meo?  
An meliora petis terrena tempora uitæ?  
Quam me nouisti quamq; habuisse meos?  
Ut rosa uulnificas inter consurgere sentes  
Cernitur & mixtis aurea caltha rubis:

Que

Quæ quamuis placido consistat digna favore,  
Atq; rubi nulla ledere parte queant:  
Hanc tamen exagitat spinis metuendus acutis  
Dumus, & in tuto non finit esse loco.  
Sic thalamo promissa meo, sic dulcis Iesu  
Ifacidas inter uiuet amica nurus.  
Tu tamen his melius spera, confisa marito,  
Quo duce sollicitis eripiere malis.  
Eripiere statim, thalamiq; parata uidebis  
Gaudia, per nullos deperitura dies.  
Interea ronchos, & stulti scommata mundi  
Aequo animo, pestes, bella, famemq; feras.  
Quæ tamen ipsa breuis subito definiet ætas,  
Et stata sunt pacis sacra futura tuæ.  
Signa uides passim cœlo non fausta sereno,  
Orbis lapsuri plurima signa uides.  
Sol tectus claros amisso lumine uultus  
Deponit, radijs exuiturq; suis.  
Pallida sub nigro faciem perfusa colore  
En quoties nocti lumina luna negat?  
Soles tergemini & turbantes regna cometæ,  
Armaq; sub fusca bellica nube patent.  
Sæpius ignitas pluuias, & sanguinis imbres,  
Insolitasq; alto cernis ab axe niues.  
Cernis & insuetis quassari motibus urbes,  
Et freta plus æquo limite uasta suo.  
Viuitur in terris nullo discrimine legum,  
Et iam nequitie grandis habetur honos.  
Inualuit scelerum manus, ingens omnia lucri  
Versat amor, summum est dedecus esse bonum.  
Nulla.

Nulla tenet pietas natos & nulla parentes,  
Virtutis rutilum deperit omne decus.  
Germina frondator cernens protendere ficus,  
Tempora floriferi ueris adesse uidet.  
Nec mora plantandas horto sibi deligit herbas,  
Expertes onerum nec finit esse manus.  
Mox diuersa uigil commendat semina terræ,  
Quæ det cum multo fœnore cultus ager.  
Tempora ne tardum superent properando laborẽ  
Damnaq; desidie ne ferat ulla suæ.  
Haud secus ista uidens læto caput erige uultu,  
Et scito summum non procul esse diem.  
Vt uigil aduentus expectans tempora nostri,  
Non improviso præueniãre die.  
cc Sicut enim taciti per cæca silentia fures,  
cc Perq; insperatæ tempora noctis eunt:  
cc Sic super incautum ueniet lux ultima mundum,  
cc Quoq; minus metuet tempore, finis erit.  
Aligeri iuuenes excibunt undiq; gentes,  
Cum mittent raucos æra recurua sonos  
Tunc ego descendens cœlo metuentus ab alto  
Cœlesti iuuenum concomitante choro,  
Transactæ quæram lapsus & crimina uitæ,  
Iudicium nullo despiciente meum.  
Secernamq; pios dextra, fontesq; sinistra,  
Hos luctus, illos cœlica regna manent.  
Flammea tempestas mox totum sparsa per orbem,  
Omne repentino conteret igne solum.  
Inde novos orbis cœli, noua sydera condam,  
Perpetuaq; uirens fertilitate solum.


Mox

Mox ponam uiridi rutilos ab Iaspide muros,  
Et faciam turres plurimus ornet onyx.  
Bis senas statuet portas Carbunculus urbi,  
Inuictō æternis ex adamante seris.  
Aurea strata uia pedibus calcanda piorum  
Et solij uiridis tecta Smaragdus, erunt.  
Vrbis & in medio sacræ scaturiginis undæ  
Profiliēt uiuæ fonsq; perennis aquæ,  
Aëra nec Phœbum poscent, nec lumina tellus  
Expetet, æternæ tempora lucis erunt.  
Omnia terrenæ fient noua nescia sordis,  
Cessabuntq; feræ noxia iura necis.  
Cum socijs Sathanas, tenebris & nocte perenni  
Cogentur pœnas exululare suas.  
At tu sponsa decens nostra statueris in urbe,  
Angelico carmen dulce sonante choro.  
Hæc te regna manent hæc castæ præmia uitæ,  
Hac dabitur uultus luce uidere meos.  
Nec tantum cernes, dabitur quoq; copia fandi,  
Et nunquam præsens non tibi sponsus erit.  
Disce modo rerum præsentēs ferre procellas,  
Aeternum quod fers non erit illud onus.  
Cætera percipies æternæ gaudia uitæ,  
Cum fueris thalamis reddita sponsa meis.

F I N I S.

Andreas Erstenberg.







Ch 320<sup>a</sup>

ULB Halle

3

002 163 179




So. f

(So. 3. Band)

~~Donnerstag~~ ~~vi ge in~~  
Donnerstag vi ge in





B.I.G.

Farbkarte #13

*Cl 52306*

*2*

EPISTOLA  
ECCLESIAE AFFLI  
CTAE AD CHRISTVM SALVA  
torem, Elegiaco carmine  
conscripta

A

DAVIDE PEIFERO  
LIPSICO.

RESPONSIO CHRISTI AD EAN  
dem, Authore Andrea Ersten  
bergio Antisteo.

LIPSIAE

EX OFFICINA VALEN  
TINI PAPAE.

Anno

M. D. LII.

